



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

49. De constructione oratorij S. Crucis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

Ingens vtriusque tam Willibrordi quam Pipini erat Zelus in salutem gentium. Optime agitur cum Princeps politicus & Ecclesiasticus in vnum quisq; pro suo gradu conspirant. Sic factum vt breui sacerdos numerosos animarum manipulos Deo offerret & vicissim Deus vtrumque plurimis accessionibus etiam temporalibus ditaret. Obtinuit etiam ea victoria Pipinus, vt Radbodus, qui victus in interiorem Frisiam fugerat, eiusque populares haud inclementer Willibrordum sociosque de Christo concionantes audirent, filiâ eius Theudesindâ religionem veram professâ Grimoaldo Pipini filio legitimis nuptijs copulatâ, quamquam ipse Rex ad falsa numina eiurandum, Christianam fidem amplectendum, nondum induci potuerit.

## DISSERTATIO XLIX.

## De constructione oratorij S. Crucis.



**V**T Wiltaburgum intrauit S. Willibrordus, pro negotij sui promotione, Oratorium, siue sacellum S. Crucis extruxit. De hoc antiquus scriptor Ioannes de Beca, *Igitur electus Deo sacerdos magnam congregationem presbyterorum eligens ad castrum Traiectense peruenit quod in potestate Francorum orientalium eo tempore fuit, ubi prope ruinam primordialis Ecclesia S. Thomae sacrum edificauit in honorem S. Crucis Oratorium in quo renatiui fontis primo consecrauit baptisterium vt Christi fideles ob defensionem castelli traiectensis securum illuc haberent accessum ad suscipiendum sacrum baptismatis sacramentu* De eodem ait Heda, Traiectum redeuntem Willibrordum, ad ruinas Ecclesiae ibidem in Episcopo

pio sub honore Diui Thomæ Apostoli à Dagoberto Regenuper ædificatæ fundasse Oratorium in honorem S. Crucis, baptisterium in eoq̃ue consecrassè vt volentibus confugere ad fidem, securius liceret propter munitionem anno salutis 695, deputatis ministris qui sacris obeundis & hymnis & diuinis laudibus cantandis sedulò incumbèrent. Marcellinus ille & eum secutus dictus Heda statuit ædificationem Oratorij ann. 695. Lubentius quam corruptissimo Marcellino eiusque sequacibus fidem do Ioanni Becano dicenti illud extruendum anno 693. Fauet facti equitas. Quid enim opus biennium illud differre? quid in prioribus vel potioribus habere debuerunt Euangelici viri quam Oratorium statim construere, postquam vëdicato Traiecto anno 692. vel 693. per Principem eò statim missi fuerant? idque tum ad propriam deuotionem officiaque sua complenda, tum ad vsum præsidij Francorum haud dubie Christianorum per Pipinum Traiectinis impositi: tum denique ad Neophytos conuocandum, instruendum, baptizandum, reliquis sacramentis muniendum, atque etiam Gentiles alliciendum?

Rectè vero Apostolici viri initio prædicationis crucem proponunt, erigunt, quia prædicamus (inquit Apostolus) Christum & hunc Crucifixum. crux est trophæum & labarum Christianorum: à cruce exit & consummatur salus gentilium. *Cruce tua (Christe) omniū fons est benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. O admirabilis potentia Crucis! ò ineffabilis gloria passionis in qua & tribunal Domini & iudicium mundi & potestas est crucifixi! traxisti enim Domine omnia ad te & cum expandisses tota die manus tuas ad populum non credentem & contradicentē tibi, confitenda maiestatis tuæ sen sū totus mūdus accepit.* Leo de Pass. Dñi. Hinc S. August. & socij

à Diuo

à Diuo Gregorio magno missi Britanniam primum intrantes crucem pro vexillo ferebant argenteam & imaginem domini saluatoris in tabula depictam. Beda lib. 1. cap. 25. Hinc olim templum erigi vetabatur sine præuia erectione crucis: Concil. Aurel. cap. Nemo: de consec. distinct. 1. Burchardus lib. 3. cap. 6. Iuo lib. 2. cap. 6. quo nimirum nouiter conuersi & conuertendi monerentur in quæ fidei, in quem gratiæ auctorem aspicere haberent. Quare D. Ambrosius ser 56. *Sine Cruce (inquit) Ecclesia stare non potest.* Dubitavi subinde, an oratorium S. Crucis non sit idem quod postmodum & modo dicitur Saluatoris licet à S. Willibrordo in tanta amplitudine quam modo habet non sit exstructum, Idem enim videtur nomen: nam crucis templum est Saluatoris, quandoquidem crux non colatur nisi respectu Christi Saluatoris, & à cruce, per crucem Saluator. Præterea cum in templis cruci affigatur Saluator, illeque cum cruce honoretur, facile vtrumque nomen locus induit. Sic S. Augustinus Apostolorum nostrorum Apostolus & doctor, vbi in Regia ciuitate (Dorouernensi) sedem episcopalem accepit, recuperauit in ea Regio fultus adminiculo Ecclesiam quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuisse didicerat & eam in nomine S. Saluatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sacrauit atque ibidem sibi habitationem statuit & cum nectis successoribus suis. Beda lib. 1. hist. cap. 33. Heda quidem in Heriberto Episcopo 26. apparet distinguere his verbis: non longe post, videlicet anno 1148. conflagrauit maior pars ciuitatis Traiecti, Maiori & S. Petri & Pauli atque Ioannis templis omnino consumptis flamma, vnà cum oratorio S. Crucis, Ecclesia S. Saluatoris non absque miraculo à tanto incendio intacta permanfit cum imagine S. Saluatoris è fauillis asseruata quæ adhuc visitur. Verum cō-

mata in meo Heda inordinate disposita sensum relinquunt dubium, num templa sint consumpta flammis vna cum oratorio S. Crucis: aut Ecclesia S. Salvatoris intacta permanferit vnà cum oratorio S. Crucis. Dubium simul relinquunt num oratorium S. Crucis non fuerit inclusum in Ecclesia S. Salvatoris, quemadmodum dum ampliora tēpla suscitantur, sacella minora ad antiquitatis venerationē nonnunquā inclusa reseruantur Clarius verò loquitur Becanus in Hereberto Episcopo 26. vbi postquā retulit incendiū vrbs & templorū, de Oratorio S. Crucis subiungit: *est autē (Oratoriū) capella primordialis contigua tēplo S. Salvatoris edificata tempore Clementis (Willibrordi) in honore Sanctæ Crucis, quam edax flamma cum omnibus infra contentis flammatenus exussit; veruntamen imago Sancti Salvatoris prorsus incombusta permansit. Hanc sacrosanctam imaginem clerus & populus deuotionis honorificentia condignè susceperunt, quam ad vicinam Ecclesiam cum hymnis & psalmodijs transportarunt. Vbi Oratorium statuitur extra templum S. Salvatoris.*

Hinc intellige S. Willibrordum (idem de socijs) sensisse Crucem esse honorandam adorandam. ædes sacræ non extruuntur nisi vt illud vel illi in quorum honorem fit illic honorentur, orentur & adorentur adoratione sibi congrua & competenti. Crucem verò Christi esse adorandam sensit semper & sentit Ecclesia Catholica. Vide Synodum septimam aliàs Concilium Nicenum secundum act: 7. Conc: Tridentinum sess, 25.